



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ivs Ecclesiasticvm

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Titulus I. De Vita & Honestate Clericorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62668](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62668)



LIBRI III.
 INSTITUTIONUM CANONICARUM
 TITVLVS I.
 De Vita & Honestate Clericorum.



Judiciis ad Causas in
 iis pertractari solitas,
 siue res & iura Per-
 sonis aut Locis Eccle-
 siasticis competencia
 progreditur Compila-
 tio Gregoriana, il-
 lasque orditur ab ipsis Clericorum perso-
 nis, eisque conveniente planeque neces-
 saria Vita Morumque Honestate; quod
 ad hanc fideles caeteri nulla re efficacius
 quam ipsorum exemplo instituantur &
 excitentur.

5. In odiosis vero soli Clerici simplices.
6. Et aliquando soli Sacerdotes intelli-
guntur.
7. Clericatus non presumitur: sed pra-
bandus est.
8. Per Formatas, vel depositiones te-
stium:
9. Ex illius quasi possessione diu conti-
nuata:
10. Ex fama, iudiciis aliis,
11. Et delatione habitus ac tonsura Cla-
ricalis:
12. Et aliquando partis aduersae con-
fessione.

ARTICULUS I.
 De Clericorum No-
 mine & Probatione Cle-
 ricatus.

- SUMMARIUM.
1. Christiani vel Laici, vel Clerici:
 2. Et utriusque vel Seculares sunt vel Re-
gulares.
 3. In favorabilibus Populi nomine Cle-
rici quoque;
 4. Et istorum nomine Regulares, etiam
laici:

Christianorum, siue hominum per
 Baptismi ianuam Ecclesiam in-
 gressorum, duo sunt genera:
 Laicorum unum, alterum Cle-
 ricorum, can. Duo sunt 12. q. 1.
 Laicorum, à Graeco nomine λαός,
 Populum denotante, sic dictorum, appella-
 tione Jure nostro veniunt non solum po-
 pulares & homines plebei, sed quicumque
 sexus utriusque & cujuscunque aetatis
 status & conditionis homines, ullò Or-
 dine Ecclesiastico & primâ etiam Tonsu-
 râ non initiati. Nomine autem Clerico-
 rum in-

rum intelliguntur personæ ex fidelibus electæ, & sacrò aliquò vel minori Ordine aut primâ saltem Tonsurâ ad Dei cultum & Ecclesiæ Christi ministerium specialiter deputatæ, *can. 1. pr. dist. 21. & can. Clericus 5. q. 1. cit.* ut indicat ipsùm nomen derivatum à Græco *κλῆρος* denotante *Sortem* vel *Hæreditatem*: à qua sic nominantur; quòd, ut *can. Clericus cit. asseritur vel de Sorte Domini*, hoc est, ad Divina ministeria specialiter ordinati sunt: *vel Domini partem & hæreditatem habeant, can. 1. cit. pr.* hoc est, Oblationes, decimas & primitias, quæ Domini Dei sunt, *can. Quisquis 12. q. 2.* Glossa in *can. 1. cit. V. Partem*, Panormit. *ad hanc Rubr. n. 8.* Turrecremata in *can. Clericus cit. n. 9.* & Bellarmin, *Lib. 1. de Cleric. cap. 1.*

Neque bimbrem hanc Christianorum in Laicos & Clericos partitionem convellit rescriptum Innocentii III. Clericos laicos agnoscentis *c. Ad audientiam 31. ibi*, *Quod quidam laici clerici, de Rescripte.* ut habet plenior lectio *c. cit. relata à Gonzalez*; quia, ut nihil dicam; quòd in Decretalium editionibus vulgatis *laici* nomen sit omissum, *c. cit.* laicorum clericorum, in pleniore lectione expressorum, nomine veniunt Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum canonici & ceteri clerici Seculares, sive personæ, non quæ nullo Ordine & prima etiam Tonsurâ non initiatæ: sed quæ tali quidè initiatæ, nullâ tamen alicujus à Sede Apostolica approbatæ Religionis Regulam sunt professæ; ut ad eò *c. cit.* Laici clerici Regularibus clericis opponantur, ut in *c. cit.* cum Cironio notat *cit.* Gonzalez *n. 2.*

2. Utrique, tam Laici quàm Clerici, vel Seculares sunt, vel Regulares: quorum illi nullâ, isti aliquâ à Sede Apostolicâ approbatâ Ordinis Regulâ sunt professi,

ut jam dictum & notat Turrecremata in *can. Duo sunt cit. pr.*

Quantumvis autem *Laicorum* nomine denotetur Populus Christianus, istius tamen nomen aliquando latius patet, quàm *Laicorum*; quia illius, non etiam istorum nomen aliquando cum laicis etiam clericos comprehendit, *arg. l. 1. C. de Summa Trinit.* Quòd præcipuè contingit, si materia sit favorabilis, v.g. si populo indultum sit privilegium; tali enim populo indultò etiam clerici gaudent: nisi ad hos id non porrigi, ex tenore, materia subjecta, vel circumstantiis constet, Panormit. in *c. 1. n. 1.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 1.*

Licet etiam Christiani ex Laicali ad Clericalem Statum transferantur ipsâ primæ sive, ut eam ipsam ob causam etiam nuncupatur, clericalis Tonsuræ receptione, *arg. can. Duo sunt cit. & c. Cum contingat 11. de Etat. & qualit.* & propterea Tonsurâ illâ initiati omnes, quacunquè etiam Pontificali præfulgeant, aut Cardinalitiâ emineant dignitate, cum ipso Papa seu Pontifice Romano clerici propriè sint; quòd sint de sorte Domini & Domini partem omnes habeant, *can. 1. pr. dist. 21.* Usu tamen Clerici nomen aliquando latius, & aliquando minus latè patet, & Christianos plures vel pauciores significatione sua comprehendit pro materiæ diversitate; cum in dubio, si materia favorabilis sit, clerici appellatio non solum prædictos omnes, sed Religiosos quoque laicos, ut sunt Conversi & Societatis JESU Coadjutores temporales, comprehendat, Felinus in *c. 1. de Hæret. n. 6.* Sylvester *V. Clericus 1. n. 1.* Tuschus *Præf. V. Clericus concl. 377. n. 2.* idem esse asserens in materia indifferenti. Si verò ista sit odiosa, v.g. si de Censura aliâque poena, de damno vel incommodo incurrendo tractetur, clerici nomen restringendum sit

dum sit ad clericos simplices; ut nec Abbates, Præpositos, Archidiaconos aliósq; in Ecclesiastica dignitate constitutos, Decius in *c. Non liceat* 2. de *Præbend.* Beronius *Vol. 1. consil. 153. n. 6.* Riccius *Prax. Aur. resol. 292. n. 2.* neque Canonicos, Beronius *Consil. 3. à n. 29.* multóque minùs Episcopos complectatur, arg. *c. Inquisitores* 16. de *Hæret. & c. Quia periculosum* 4. de *Sent. excom. utrobique in 6.* neque etiam extendatur ad Monachos cæterósq; Regulares, Panormit. in *c. 1. Ne clerici vel monach.* n. 7. & Tuschus *concl. cit. n. 2. & 3.* quos propterea Interdictó Ecclesiasticó lató in Clerum non teneri, cum Panormit. in *c. Bona* 3. de *Postulat. n. 2.* notat Sylvester *V. Interdictum* 2. n. 17. Pro ratione horum omnium Barbosa *Jur. Ecclæs. Lib. 1. cap. 39. n. 10.* reddit Regulam, *Odia restringi, & favores convenit ampliari,* quæ est, 15. in *6.* Restè etiam cit. Doctor n. 11. advertit, multoties Clericorum nomine denotari Sacerdotes. Quando autem, defumendum est ex materia subjecta, puta, si de conferenda absolutione Sacramentali, de sanctissimo Christi corpore conficiendo, aliáve potestate, in clericis presbyteris inferiores non cadente, agatur.

7. Dubium est de Clericatus probatione. Et in dubio quidem eum non præsumi, sed ab allegante probandum, defumitur ex *can. Lectum* 2. q. 1. & cum Decio in *c. Cum ad eò* 17. de *Rescript. n. 13.* & Ripa in *c. Decernimus* 2. de *Judiciis n. 4.* tradit Gomez in *Regul. de Annali possess. q. 58.* Ratio plana est; quia clericatus homini neque à natura, neque communiter inest; cum homines omnes laici nascantur, & tales esse plerique perseverent: qualitatem autem, quæ neque à naturâ neque communiter inest, non præsumi, sed ab allegante probandam esse, dictum est *ad Rubr. de Probat. n. 18.* Quâ

ratione ductus Menochius *Lib. 6. præsumpt. 76. n. 2.* eum, quem constat esse clericum, sacris Ordinibus esse initiatum, si non probet, non credi, ait.

Quare dubium solummodo procedit de Clericatus probandi modo. Et eum quidem *Formatis*, ut vocant, sive Authenticis literis Episcopi, primam Tonfuram vel Ordinem, qui probandus est, à se collatum testificantis, legitimè probari, disertè habetur, *l. Si quæ per calumniam* 22. *c. de Episc. & cleric.* quâ relatis Theodof. & Valentiniani Imp. rescriptis, qui talibus literis non est munitus, pro clerico vel monacho non habetur.

Verùm hæc probatio, licet usu receptissima & SS. Canonibus approbata sit, *can. Primatus* 6. *can. Extraneo* 7. *Eccl. dist. 71. c. Inter quatuor* 2. *& c. Tua* 3. de *Cleric. peregr.* non desiderantur tamen, & recipiuntur etiam aliæ, tam veræ quàm præsumptivæ ejus probationes; cum Clericatus etiam probetur.

Primò duorum triumve omni exceptione majorum, Ordinationis actui se interfuisse, deponentium testimoniis, si clericatus literæ sint amissæ, *c. Inter* 5. *c. Tue* cit. Felin. in *c. Licet* 23. de *Test. & attest. in fine* Rebuff. de *Nominat. q. 14. n. 32.* & Garcias *p. 7. de Benefic. cap. 1. n. 39.* Quin clericatum etiam unius testimonio probari, cum Glossa *fin. in c. Licet* cit. volunt Felin. *l. cit.* & Baldus in *c. Licet* cit. Quod, licet ad celebrandi & similes actus tertio non præjudicantes exercendi licentiam obtinendam verum sit, in judicio tamen, in quo lis *vg.* super beneficio est, non admittitur: sed, deficiente scripturâ, clericatum duorum testimonio vel aliter probari, est necesse, Rebuff. *q. cit. n. 32.*

Secundò clericatus probatur ex diturna possessione; ut, si quem longo tempore pro

pro pro clerico habitum, vel in beneficio vg. Missas celebrandò, Evangelium vel Epistolam solenniter cantandò, deserviisse per testes probetur, is clericatus probandi onere relevetur, & in beneficio, quod obtinet, possessione manuteneatur; licet ex ejusmodi possessione orta præsumptio non sufficiat; ut alicui beneficium adjudicetur vel conferatur: sed ad hoc vera aut aliis adminiculis suffulta clericatus probatio exigatur, Innocentius in c. *fm. De eo, qui furt. ordinat. pr. ubi Panormit. n. 8.* & alii apud Mascard. *de Probat. concl. 304. à n. 18.* & Menoch. *cit. præsumpt. 76. n. 25.*

10. Tertio idem probatur per famam seu communem existimationem, Garcias *cit. cap. 1. n. 140.* Mascard. *concl. 305. n. 11.* & Barbola in c. *Si judex 12. de Sent. excom. in 6. n. 9.* cum enim fama seu reputatio communis in judicio allegata & probata regulariter semiplenæ probationis vim obtineat, per tradita *Lib. 2. tit. 19. n. 38.* de Clericatu quoque iis casibus, quibus leviores probationes admittuntur, sola: iis verò, quibus plena probatio exigitur, unius testimonio aliòve adminiculo accedente, fidem facere valebit.

Quarto, argumentis, indicii, seu conjecturis aliis, Glossa in c. *Inter cit. V. Per argumenta, cit.* Garcias n. 140. & Mascard. *concl. 305. n. 7.* quæ singula quæ in occurrentibus casibus vi polleant, iudicis illorum & effectus, ad quem probatio expolitur, qualitatem & circumstantias ponderantis arbitrio & prudentiæ est relinquendum.

11. Quinto clericatus probatur ex delatione habitus & Tonfuræ Clericalis, præsertim diu continuata; quod ista quasi possessionem & præsumptionem clericatus inducat, c. *Si judex cit.* Verum, esto hoc ita sit, quando agitur de modico præjudicio, sicut fit cum versamur in præpa-

ratoris iudiciorum, vg. quando delinquens in habitu clericali reperitur; cum talis à Curia Seculari detineri nequeat, sed ad Ecclesiasticam remittendus & sub ejus custodia retinendus sit, donec clericatus quæstione iudicio Ecclesiastico discussa, laicus esse pronuntietur, c. *cit. cuius §. Idem esse Bonifacius VIII. ait, Idem, sive malefactorem ad Ecclesiasticum iudicem remittendum, esse censens, si reus ipse ante deprehensionem pro laico publicè se gerens deprehensus fuerit in habitu clericali, Tonfuram videlicet & vestes deversens clericales; nam talem debemus clericum (donec constet de contrario) reputare: nisi ante deprehensionem pro laico publicè se gessisset.* Ratio est; quia in dubio talis quis esse præsumitur, qualis in exteriori habitu reperitur, donec contrarium fuerit probatum, Baldus in l. *Non ignorat 9. C. Qui accus. non poss. n. 4. Franc. in c. Si judex cit. §. Idem esse, not. 3. cit. Rebuff. q. 22. n. 13.* Menoch. *præsumpt. 76. n. 7.* & Mascardus *concl. 302. n. 3.* Non tamen procedit, cum agitur de magno præjudicio; cum ex sola delatione habitus clericatus sufficienter non probetur; ut, qui illum defert, ad altiores Ordines promoveatur, aut ei conferatur vel adjudicetur beneficium; ad hos enim effectus titulum sive Ordinationem exhibitione authenticæ scripturæ vel duorum triumve testimonio aut aliis adminiculis probari, est necesse, *cit. Menoch. n. 4.* & Mascard. *n. 1.* Eadem habitus delatio hodie non sufficit, ut clericus in minoribus constitutus gaudeat privilegio Fori Ecclesiastici; cum, ut illò gaudeat, ultra delationem illam alia exigantur à Concilio Trident. *sess. 23. cap. 6. de Reformat. ut à num. 53.* pluribus tradetur.

Sextò demum partis quoque, super beneficio litigantis & adversarium suum clericum

clericum esse asserentis, confessione clericatum probari, scripsit Cravetta *Consl. 93. n. 4.* non quidem quoad titulum, ut aliis adminiculis non concurrentibus ex ea sola in Petitorio beneficium colliganti adjudicetur: sed, ut saltem obtineat in Possessorio, & confessio silentium imponatur; quia in hoc iudicio leviores probationes admittuntur, Felin. *in c. Olim 25. de Rescript. n. 10. cit.* Cravetta à n. 4. & Mascard. *concl. 305. à n. 6.* Addenda his sunt deducà ad Rubr. de Cleric. peregrinis à n. 7.

ARTICULUS II.

De Clericalis Vitæ Honestate Interna.

SUMMARIUM.

13. *Honestas vitæ Clericalis vel Interna vel Externa est.*
14. *Interna intentionem Deo in Clericalitu serviendi,*
15. *Et anima seu conscientia puritatem exposcit.*
16. *Primam Tonsuram sine intentione illa recipiens non vacat culpâ:*
17. *Quæ tamen verisimilius non est lethalia.*
18. *Parochiam sine Sacerdotii recipiendi intentione acceptans, tenetur ad fructuum restitutionem:*
19. *A qua excusatur ejusmodi intentionem habens solummodo conditionatam:*
20. *Non etiam, qui de Sacerdotali Ordine recipiendo dubius hæret.*
21. *Alias dignitates & beneficia sine annexi Ordinis recipiendi intentione acceptans, perceptos inde fructus ipso jure non amittit.*

22. *Illis tamen & beneficium est privandum.*
23. *Ex parochiali beneficio, sine Sacerdotii recipiendi intentione obtentò, percepti fructus restituendi sunt ante omnem sententiam:*
24. *Nisi mutata voluntate ad Sacerdotium intra annum promoveatur.*
25. *Post illud bonâ fide obtentum à Sacerdotii recipiendi intentione recedens, neque ante,*
26. *Neque post mutatam voluntatem perceptos fructus ante sententiam restituere tenetur.*
27. *Eosdem restituere non tenetur, qui parochiam acceptat animò resignandi:*
28. *Nisi Sacerdotalis Ordinis recipiendi careat voluntate.*
29. *Conscientia puritas Sacramenti ministro cuicumque necessaria est, non ad valorem:*
30. *Sed ad honestatem administrationis:*
31. *Ante quam Gratia Status non procurans, peccat mortaliter:*
32. *Extra casum necessitatis, illius procuracionem non admittentis.*
33. *Alia, quàm administrationis Sacramenti ratio est Ordinis actuum aliorum.*
34. *Pro Eucharistia sumptione Gratia Status procurandus est per Confessionem Sacramentalem:*
35. *Consuetudine contrariâ, quod præceptò Divinò adversetur, non obstante.*

Vitæ morumque Honestas, Clericis omnibus, præsertim Sacerdotibus curatis & constitutis in dignitate, præscripta duplex est: Interna una, altera Externa: quarum

quarum illa subiecta est iudicio solius Dei, qui solus cor hominis intuetur, *1. Reg. cap. 16. v. 7.* istam verò intueri & diiudicare etiam hominibus est datum, *c. Sicut tuus 33. & c. Tua 34. de Simonia.*

14. Illa sive Interna honestas exposcit duo, rectitudinem Intentionis, & Animæ seu conscientiæ puritatem, Wagnereck *ad hanc Rubr. not. 2.*

Rectam intentionem ut clericus habeat, necesse est; ut non sequiore aliquò merè que terrenò: sed cælesti ac supernaturali motivò, Deoque in Ecclesia deservendi studio ductus primà Tonturâ & Ordinibus Ecclesiasticis initietur: atque ad beneficia & dignitates Ecclesiasticas promoveri se patiatur aut curet, non tam consequendi ex illis provenientis emolumenti seu commodi temporalis, quàm obeundi officii seu ministerii spiritualis &, si quæ illis annexa est, animarum curæ per Sacramentorum aliorumque Divinorum administrationem, aut Ecclesiasticæ jurisdictionis exercitium gerendæ; horum enim intuitu beneficia & dignitates Ecclesiasticæ clericis conferuntur, *c. fin. de Rescript. in 6. & l. Generaliter § 2. §. 1. C. de Episc. & cleric.* Hinc certè S. Synodi Tridentinæ Patres non Ordinibus solum, sed primà quoque Tonturâ initiari vetant eos, *De quibus probabilis conjectura non est, eos ut Deo fidelem cultum præsent, hoc vitæ genus elegisse, Sess. 23. cap. 4. de Reformat.* &, qui dignitates aliavè beneficia Ecclesiastica canonicè consecuti sunt, Sacros Ordines illis annexos recipere sub amissionis pœna jubentur, *c. Cum in cunctis 7. §. Inferiora de Elect. c. 1. de Stat. & qualit. & c. Licet canon. 14. de Elect. in 6.* Imò, ad Ecclesias Parochiales sine Sacerdotii recipiendi intentione promoti, ex illis provenientes fructus non faciunt suos, sed eos restituisse tenentur, ex Constitutione

Bonifacii VIII. *c. Commissa 35. de Elect. in 6.*

Puritas animæ seu conscientiæ exigit **15.** immunitatem ab omni labe seu culpa graviore: ad cuius consecutionem & perfectionem plurimùm confert desiderium vivendi secundum Divinæ & Ecclesiasticæ legis præcepta, studiumque Theologicarum & Moralium Virtutum. Eam verò Animæ puritatem clericis omnibus, præsertim Sacerdotali, Pontificali, aliavè dignitate Ecclesiastica conspicuis, pernecessariam & sollicitè procurandam, omnino exploratum est; cum illi ex officio suo imprimis deputati sint ad laudandum suæque intercessione placandum Deum: *Non sit autem speciosa laus in ore peccatoris, Ecclesiastici cap. 15. v. 9.* qui displicet Deo; ut periculum sit, ne ejus intercessione irati numinis animus ad vindictam provocetur potius quàm placetur, *can. In gravibus 3. q. 7. Panormit. ad hanc Rubr. n. 3.* Deinde sanctam & immaculatam hostiam Deo offerant fumantque: eam autem oblaturum ac sumpturum deceat, *Ut sit sanctus, innocens, impollutus & segregatus à peccatoribus Hebr. cap. 7. v. 26.* utque *Probet seipsum;* ne, si hostiam illam, sive sanctissimum Christi corpus & sanguinem fumar indignè, iudicium sibi manducet ac bibat, non dijudicans corpus Dimini, *1. Corinth. cap. 11. v. 29.* Demum sint ministri Christi & dispensatores mysteriorum Dei, *1. Corinth. cap. 4. v. 1.* sive à Christo Domino institutorum Ecclesiæ Sacramentorum: quæ cum fontes sint Gratiæ sanctificantis, eorum administratores ac dispensatores munditiâ cordis & cogitationis puritate excellere, Fidei Speique firmitate & fervore Charitatis, omniumque virtutum aliarum ornamentis decoratos esse, est necesse; ut sancta tractare ac sumere valeant sanctè; &, dum fideles ceteros

gratos

gratos reddunt Deo, ipsi tanquam Gratia Divina exsortes non reprobentur, contra monitum Apostoli 1. Corinth. cap. 9. v. 27. De hæstenus declarata vitæ clericalis Honestate

16. Dubium est primò, an prima tonsura & Ordines minores recipi nequeant sine intentione in clericatu Deo in Ecclesia serviendi. Illum certè & hos sine tali intentione, imò cum proposito in clericatu non perseverandi & conjugii inveniendi licite aliquando recipi, ait Laiman *Lib. 4. tract. 9. cap. 7. n. 2. in fine*, ductus exemplò Rectorum Academicorum, in una alterave generalium studiorum Universitate eà solum intentione minores Ordines aut primam saltem tonsuram recipere solitorum; ut essent capaces jurisdictionis in clericos exercendæ.

Verùm, quia ab hoc usu in Academicis illis recessum: & ubi earum Rectores Ecclesiastici non sunt, jurisdictio in Clericos fere in illarum Pro-Cancellarios, Sacræ Facultatis Decanos, aliasve personas Ecclesiasticas translata est, non magni valoris ab usu illo ducitur argumentum, & verisimilius culpam non vacat Ordinum minorum & primæ etiam tonsuræ receptio sine intentione Deo serviendi in clericatu, vel cum istius deferendi proposito attentata, ut non obscure insinuat S. Synodus Trident. *cap. 4. cit.* primâ tonsura initiari prohibens eos, *De quibus probabilis conjectura non est, eos non secularis judicii fugiendi fraude*, & Ecclesiastici fori privilegiò fruendi animò, *sed ut Deo fidelem cultum præsentent, hoc vitæ genus elegerint*; his enim verbis sine animo fidelem Deo cultum præstandi, & solâ privilegiò illò gaudendi intentione primam tonsuram recipientem S. Synodus apertè arguit fraudis ac deceptionis, quæ utique culpam non vacat; atque idcirco, ne privilegiò illò fru-

endi animò facile committatur, eadem S. Synodus *sess. cit. cap. 6.* primâ tonsuram & minoribus Ordinibus initiatos fori Ecclesiastici privilegiò defendi in posterum noluit: nisi beneficium, ratione cujus ad spirituale officium obligantur, actu habeant, vel habitum & tonsuram clericalem deferentes alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviant, vel in seminario clericorum, vel in studiis quasi in via ad majores Ordines versentur.

Quantumvis autem tonsuram illam & minores Ordines contra Ecclesiæ mentem sine intentione fidelem Deo cultum præstandi in clericatu, & hunc deferendi animò recipiens non vacet culpam, istam tamen (malò sine, circumstantiâ sequiore & contemptu seclusis) lethalem esse dicere non ausim cum Navarro *Manual. cap. 25. n. 108.* Sanchez *Lib. 7. de Matrim. disp. 31. n. 17.* Bonacina *disp. 8. de Sacram. q. unic. p. ult. in fine* & Diana *p. 1. tract. 8. resol. 10.* contra alios, numero & nomine non inferiores, in ejusmodi Ordinum & tonsuræ clericalis receptione gravem culpam agnoscentes, & præcipue permotos paritate cum eo, qui Religiosi Ordinis Novitiatum ingreditur animò non profitendi, sed ad seculum redeundi.

Sed paritas cum isto non est; cum enim iste in re gravi decipiat Prælatum, ad Religionis Novitiatum, Institutum & secreta cognoscenda, vitæque Regularis communionem admittere non intendentem nisi eum, qui in ea, quam præ se fert vocatione constans fore speratur; eum enim, qui talem se fingit, cum non sit, à gravi culpa meritò non absolvunt *cit.* Sanchez *n. 20.* & Laiman *n. 2.* & ad sumptuum in eum factorum restitutionem rectè obligat Gobat *Experient. Tract. 8. n. 30.* licet aliud sentiat de proposito receptione primæ tonsuræ & Ordinum mino-

minorum; quod horum, sine animo perseverandi in clericatu, receptio minus Ecclesiastica & Seculari Republicæ, quam Religioni præjudiciosa & gravis sit assumptio habitus & ingressus in Novitiatum sine animo perseverandi.

18. Dubium secundo est, an ad beneficium parochiale recipiendum necessaria sit Sacerdotalis Ordinis recipiendi & in clericatu perseverandi intentio absoluta, vel sufficiat conditionata: nisi superveniens nova circumstantia seu causa suadeat mutationem voluntatis, v.g. nisi ante sacrum Ordinem receptum status clericalis minus convenire iudicetur: nisi primogenitus aut unicus frater decesserit, aut prolem masculam non susceperit: nisi opulentum & ad familiam conservandam vel ad odia & lites extinguendas opportunum matrimonium se offerat: cujusmodi conditionatam intentionem sufficere cum Soto *Lib. 10. de Justitia q. 5. art. 6.* negat Gutierrez *Q. Q. Canon. lib. 2. cap. 5. n. 22.* per motus textu *c. Commissa cit.* cujus §. *Ceterum Bonifacius VIII. Si, inquit, promoveri ad Sacerdotium non intendens parochialem receptoris Ecclesiam, ut fructus ex ea per annum percipias, ipsam postmodum dimisurus (nisi voluntate mutata promove fueris) teneris ad restitutionem fructuum eorundem; cum eos receptoris fraudulenter.*

19. Verum, quia non absolutam, sed conditionatam quoque Sacerdotii recipiendi intentionem habens Ordinem illum sacrum suscipiendi voluntate non caret, §. *cit.* dispositione non obstante, conditionatam ejusmodi intentionem in clerico beneficium parochiale acceptaturo sufficere, cum Navarro *Manual. cap. 25. n. 118.* verisimilibus affirmant Sanchez *cit. Lib. 7. disp. 45. n. 10.* Lessius *Lib. 2. de I. & I. cap. 34. n. 131.* Garcias *p. 3. de Benefic. cap. 4. à n. 46.* Lai-

man *Lib. 4. tract. 2. cap. 14. n. 9.* & alii. Ratio est; quia hujusmodi conditionata intentio sæpe valde rationalis, & non reprobata est ab Ecclesia, ex ejusmodi causis factas beneficiorum remunerationes sine difficultate admittente; quod iis non raro magna bona promoveantur.

Dubium est tertio de eo, qui cum parochiale beneficium recipit, adhuc dubius hæret, an ad sacros Ordines promoveri & in clericatu persistere velit; nam & hunc à fructuum restitutione absolvit Garcias *cap. 4. cit. n. 49.* ita dubitantem cum volente sub conditione confundens, aut hac in re faciens parem. Sed perperam; alia enim, quam sub conditione volentis, ambigentis ratio est; cum enim is, qui an ad Sacerdotium ascendere & persistere in clericatu, vel hunc deserere velit, dubius & anceps est, ad Ordinem illum ascendendi necdum habeat voluntatem, ejusmodi Ordinem exoptans beneficium parochiale acceptare nequit, ex eoque acceptato perceptos fructus restituere in utroque foro tenetur, vigore §. *Ceterum cit.* nisi, animo postea mutato dubioque depositò, intra annum sacris Ordinibus initiatur, aut saltem eos recipiendi propositum habeat, *cit. Sanchez n. 10. Laiman n. 10. quaestio 1. & Palao Tract. 13. disp. 4. p. 7. n. 5.*

Dubium quartò est an §. *Ceterum cit.* dispositio afficiat solas Ecclesias & beneficia parochialia; illà enim dignitates quoque curatas comprehendit, existimat Vasquez *de Benefic. cap. 3. n. 33.* quod hujusmodi dignitates parochialibus beneficiis æquiparentur: eademque illarum, quæ istorum, ratio sit; cum sub annexi Ordinis sacri recipiendi conditione etiam ipsæ conferantur, §. *Inferiore cit. & c. 1. de Stat. & qualis.* Quin

Quia Garcias *cit. cap. 4. n. 38.* & ab eo relati alii §. *cit.* dispositionem porrigi, ajunt, ad beneficia simplicia, quibus sacer Ordo est annexus; quod ab eo, qui talis Ordinis recipiendi intentione caret, æque fraudulenter hujusmodi, quam ab alio parochiale beneficium acceptetur, ex eoque provenientes fructus percipiuntur.

Verius tamen §. *cit.* dispositione neque dignitates curatæ neque simplicia beneficia afficiuntur; quia tam *c. Licet canon.* quam §. *Cæterum cit.* tenor parochialium duntaxat beneficiorum facit mentionem: dispositio autem beneficiorum aut fructuum privationem inducens, ut *c. S. cit.* est, cum pœnalis sit, extensionem à casu expresso ad non expressum non admittit, *arg. Reg. Odis 15. S. Reg. In panis 49. in 6. cit.* Navarrus *n. 118.* Sotus *q. 3. art. 6.* Sanchez *n. 13.* & alii relati à *cit. Garcia n. 35.*

Neque dignitatum & simplicium beneficiorum eadem, quæ parochialium, ratio est. Dignitatum quidem, cum; quia ejusmodi dignitates diversæ à parochialibus beneficiis rationis sunt, & tanquam ab his diversæ referuntur §. *Inferiora cit.* tum verò; quia ad illas promoti, si intra annum ad Sacerdotium moniti non ascendant, dignitatibus receptis privari jubentur Synodali decreto 22. Trident. *Sess. 24. cap. 12. de Reformat.* non, ut parochialia recipientes, etiam nullâ monitione præcedente, ipsò jure privati asseruntur, *c. Licet, S. Cæterum cit.* Simplicium autem beneficiorum; quia minorem culpam continet sine sacri Ordinis recipiendi intentione facta acceptatio beneficii simplicis, quam curati; cum in hoc, non etiam in illo agatur de periculo animarum.

23. Dubium quintò est, an qui parochiale beneficium sine Sacerdotii intra an-

num recipiendi intentione acceptat, ex illo provenientes ac perceptos fructus restituere ante omnem sententiam teneatur. Ratio dubitandi est; quod beneficii collatio ei facta Jure subsistat; cum, si voluntate mutatâ intra annum incipitur sacerdotiò, beneficium cum perceptis fructibus retinere valeat sine nova collatione, argumentò satis perspicuò, collationem ex qua antè facta beneficium obtinuit, fuisse validam, & ex ea perceptorum fructuum dominium ipsi acquisitum; ac proinde eos non restituendos ante sententiam criminis declaratoriam; quòd ante hanc jure jam quæsito per restitutionem se privandi obligatio in conscientia non detur, per tradenda *Lib. 5. tit. 37. n. 18.* Verum, quia juxta ibidem dicenda *n. 16.* hoc de jure absolute quæsito, non primùm quærendo aut solummodo quæsito sub conditione procedit: ex ejusmodi autem beneficium fructus quæsiti non sunt absolute sed sub conditione recipiendi Ordinis sacri, vel purgandæ fraudis & voluntatis per sacerdotalis Ordinis intra annum receptionem mutatæ, eò ipsò; quòd fraudis purgatio & voluntatis mutatio secuta intra annum non sit, percipientis desinunt esse, *arg. l. Necessario §. 1 ff. de Periculo & Commodo rei vend.* Quare fructus, ex beneficio sine sacerdotii intra annum recipiendi voluntate perceptos, ante omnem sententiam restituendos, cum Glossa *fin. in c. Commissa cit.* Franco *ibid. §. Porro n. 2.* & Dominico §. *Illum n. 2.* rectè sustinent *cit.* Sanchez *n. 10.* Lessius *n. 100.* Laiman *n. 10.* & Valquez *cit. cap. 3. n. 41.*

Dubium est sextò, an, si parochiale beneficium sine sacerdotalis Ordinis recipiendi intentione acceptans voluntatem mutet, & Ordine illò incipitur, ante eam voluntatis mutationem perceptos fructus

B

fructus

fructus restituere teneatur. Quod contra Sotum *cit. q. 5. art. 6.* communis DD. sententia merito negat, & negandum §. *Ceterum cit.* non obscure innuatur; cum ex isto fructus ante percepti restitutioni obnoxii sint: *Nisi* ejusmodi beneficium percipiens *mutatâ voluntate* ad sacerdotium intra annum *fuerit promotus*. Unde à contrario inferitur, antè, etiam cum fraude, perceptos restitutioni obnoxios non esse, si *mutatâ voluntate* intra annum ad sacerdotium fuerit promotus. Cum ergo cum fraude percepti ii tantum fructus sint, qui percepti fuerunt ante ejusmodi voluntatis mutationem, secutâ hâc mutatione, ante eam percepti fructus restitutioni obnoxii procul dubio non erunt; quòd eâ mutatione fraus purgetur, ut cum *Glossa in S. cit. V. Mutatâ* advertunt *citt. Sanchez n. 7. Lessius n. 133. & Valquez n. 35.*

25. Dubium septimò est, an, qui beneficio bona fide & cum sacerdotalis Ordinis intra annum recipiendi intentione obtentò, postea verò *mutatâ voluntate* sacros Ordines non recipit, vel à clericatu omnino recedit, ad perceptorum fructuum restitutionem teneatur. Certum est, talem non teneri ad restitutionem perceptorum ante voluntatis mutationem; quòd circa hos ulla fraus commissa non sit.

26. Idem de fructibus, post animi mutationem intra annum perceptis, cum Navarro *cit. n. 118. sustinent citt. Sanchez n. 11. Lessius n. 134. & Palao p. 7. n. 9.* Ratio est; quia beneficium antè legitime obtentum, animò etiam *mutatò*, non amittitur ante lapsum anni, *e. Commissa cit. pr. & c. Licet canon. cit. V. Is etiam, & fructuum* post mutationem voluntatis perceptorum *privatio* ullò jure non est expressa; cum §. *Ceterum cit.*

disertè sermo sit de parochialis beneficii dolosa receptione sine animo ascendendi ad Ordines sacros: à qua ad beneficii, bonâ fide obtenti, maliciosam retentionem non rectè ducitur argumentum, partim; quia dolosæ beneficii receptioni §. *cit.* imposita fructuum restitutio poenalis & odiosa est: partim verò; quia gravis delinquit, beneficium malâ fide & sine sacerdotii recipiendi intentione acceptans, ut ejus fructus per totum annum percipiat, quàm illud bonâ fide obtentum, *mutatâ voluntate & sacerdotialis Ordinis* intra annum recipiendi intentione depositâ retinens, ut residuò anni tempore percipiat fructus ex illo provenientes, ut probè observant DD. *citt.* licet talem, compertâ & probatâ fraude, fructibus à *mutatâ voluntatis* tempore perceptis & ipsò quoque beneficio privari posse, inficias non eant.

Dubium est octavò, an ad fructuum perceptorum restitutionem etiam obligetur, qui beneficium parochiale acceptat animò id permutandi aut aliter resignandi. Quod resolvendum est auxiliò distinctionis; vel enim sacrum presbyteratûs Ordinem recipiendi, beneficio interserviendi, & huic annexis oneribus satisfaciendi animum habet, vel non? si posterius hoc, eum periside, ut non residentem, fructus ex illo provenientes restituere teneri, satis exploratû est ex §. *Ceterum cit.* quòd in re gravi decipiat Ecclesiam, beneficiis deserviendi animum in collatiis exposcentè, *arg. e. fin. de Rescript. in 6. & l. Generaliter 52. §. 1. C. de Episc. & Cleric.* Si prius, eum ad fructuum restitutionem obligari & graviter peccare, cum Navarro *Consl. 24. de Prab. & dignit. n. 2.* negant *citt. Sanchez n. 12. & Lessius n. 136.* quòd beneficium recipiens id perpetuò retinere non teneatur; & si, donec id ex permutationis

27.

28.

tionis vel alia causa resignandi opportuna se offerat occasio, ei deserviat & satisfaciatur oneribus annexis, Ecclesia ulum vel saltem notabile detrimentum non patiatur. Hactenus de restitutions intentionis. Nunc de animæ puritate, requisita ad vitæ Clericalis honestatem.

29. Dubium est non, an & quomodo ea sive, ut etiam loquuntur, fides & probitas ministri necessaria sit ad Sacramentorum administrationem. Qua in re frequentissimè DD. calculò approbata est distinctio inter administrationis valorem & honestatem.

Et illum quidem sive Sacramenti valorem à clerici & cujuscunque alterius ministri fide ac probitate, seu vitæ honestate interna non pendere, Catholica & à S. Synodo Tridentina *Sess. 7. can. 12. de Sacram.* definita veritas est; cum, Novæ legis Sacramentorum valorem & efficaciam à probitate & puritate animæ ministri pendere, neque voluerit Christus Dominus, neque fuerit conveniens; quia Christus illis contulit vim causandi gratiam sanctificantem ex opere operato & meritis suis, non ex ministri sanctitate: quæ si ad valorem necessaria foret, omnia Sacramenta dubia redderentur; quòd, an minister in Gratia vel lethalis peccati statu sit, ignoremus. Unde, si Sacramenti substantialia, materia scilicet & forma cum debita intentione, à ministro adhibeantur, Sacramentum validè administrabitur, quantumvis minister in peccatum mortale & ipsam hæresin lapsus sit, S. Thomas 3. p. q. 64. art. 5. Suarez 3. p. disp. 13. s. 4. Laiman *Lib. 5. tract. 1. cap. 5. n. 6.* & Bonacina *disp. 1. de Sacram. q. 3. p. 2. §. 5. n. 1.*

30. Istam verò, sive Sacramentalis administrationis honestatem à clerici ministri fide, probitate, seu honestate morum interna pendere, & cujuscunque Sacramenti in peccati mortalis statu scienter

peractâ administratione à clerico grave peccatum committi, cum *cit.* Doctore Angelico & TT. aliis tradunt ceteri DD. pro hac & priori quoque distinctionis parte allegantes *can. Omnia 1. q. 1. & can. fin. 15. q. 8.* quorum locorum priori S. Augustinus, *Omnia*, inquit, *Sacramenta, cum ob sint indignè tractantibus sive ministrantibus, profunt per eos dignè sumentibus.* Posteriori relatum Nicolai I. ad Bulgaros, *De Sacerdote, quò cum adulterii aliòve gravi crimine pollutus Sacramenta administrare presumpsit, consulentes, Responsum est, Ab eo, usquequo judicio Episcoporum reprobat, communio percipienda est; quoniam mali bona ministrando se tantummodo laudant: & cerea sax accensa sibi quidem detrimentum prestat, aliis verò lumen in tenebris administrat: & unde aliis commodum exhibet, inde sibi dispendium præbet.* Eòdem fere sensu Gregorius IX. clericos pro quolibet peccato quoad se ipsos, non quantum ad alios suspensos asserit *c. fin. de Cohabit. cleric. & mulier.* quòd, licet ipsi officium suum, priusquam penituerit, obeundò, v.g. sacrificandò graviter peccent, aliis pro quibus offerunt sacrificium, profunt. Ratio est; quia clerici eò ipsò; quòd ex officio suo sint publici ministri Christi & novæ Legis Sacramentorum dispensatores, magnam irreverentiam, tam in ipsum Christum Dominum, quam in Ordinem & officium suum committunt, quando in inimicitia Dei &, diabolice servitutis statu non depositò, sancta tractare indignè &, dum ipsi peccatorum fordibus inquinati sunt, per sacramentorum administrationem sanctissimorum Christi meritorum thesaurum dispensare temere præsumunt. Rationi huic non parùm roboris addit ipsorum collatio cum antiquæ Legis sacerdotibus ac Levitis; cum enim in his exigeretur sanctitas

specialis, & quicumque corporis maculâ aut immunditiâ aliquâ inquinati essent, à sacris & sacerdotio severissimâ comminatione removerentur, *Sacerdotes, qui aecedunt ad Dominum sanctificentur, ne percussat eos, Exodi cap. 19. v. 22. & Omnis homo, qui accesserit ad ea, quæ consecrata sunt, in quo est immunditia, peribit coram Domino, Levitici cap. 22. v. 3.* quanta sanctificatio sive honestas vitæ, præsertim interna & animæ puritas exposcetur in sacerdotibus & cæteris novæ Legis Sacramentorum ministris? cum hi Ordinatione sacrâ ad functiones dignitate ac virtute multò quàm illi præstantiores deputati & dispensatores sint novæ Legis Sacramentorum, ex virtute meritorum Christi conferentium grâtiâ, quæ spiritualis vita & sanctitas est animarum, futuræque in cælo gloriæ pignus.

31. Atque hæc resolutio quoad utramque partem verisimilius non solum in Episcopis & presbyteris, sed in diaconis quoque & cæteris clericis, imò & laicis procedit; ut quoadcunque sacramentum aliquod, sive ex proprio officio, ad quod per sacram Ordinationem deputati sunt, sive proprio ministrò deficiente per accidens publicè aut privatim ministraturi sunt, statum Gratiæ procurare teneantur: & si illud in peccati mortalis statu scienter ministrarent, graviter delinquant, ut cum Navarro *in can. 1. §. Sacerdos dist. 6. de Penit. n. 10.* sentiunt Vasquez *cit. disp. 136. cap. 3. n. 38.* Petr. Ledesma *de Matrim. q. 42. art. 3. §. Ad ultimum & Palao Tract. 18. disp. unic. p. 5. n. 9.* contra non paucos & magni nominis Theologos, verisimiliter asserentes, ad statum Gratiæ procuracionem Sacramenti receptioni quidem quoscunque, administrationi verò præmittendam, eos duntaxat graviter obli-

gari, qui illa ministraturi sunt ex officio, ad quod per ordinationem specialiter sunt deputati. At, licet hos ad Sacramenta dignè administranda præ aliis graviter obligari, inficias non eam, gravis tamen culpæ reatum contrahi existimo etiam ab aliis, illa ministrare præsumentibus in statu peccati mortalis; quòd gravis irreverentia & injuria Christo fiat, si ejus personæ representatio, & thesauri meritorum dispensatio ab hoste Dei & diaboli mancipio assumatur.

Excipiendus tamen est casus necessitatis ita urgentis; ut, si moribundi infantis Baptismo, vel alterius in ultimo agone constituti Sacramentali absolutio- ni peccati mortalis sibi conscius sacerdos præmittere vellet Confessionem aut etiam Contritionem, periculum esset, ne moribundus sine Baptismo vel absolutione decedat; quòd tali casu ipsa Sacramenti celeriter ministrandi necessitas irreverentiam Christo & sacro Ordini inferendam purget, & à peccato excuset, *cit. Laiman n. 8. & Palao n. 9.*

32. Dubium est decimò, an paritas animæ seu conscientia à graviore peccati labe immunitas clericis necessaria sit ad alios Ordinum actus exercendos. Et minorum quidem Ordinum actuum exercitium in statu peccati mortalis graviter peccaminosam esse, DD. passim negant. Majorum autem actus proprios in eo statu exerceri sine gravi peccato non posse, Sylvester *V. Clericus 2. n. 2. ad finem Navarrus Manual. cap. 25. n. 72.* Cajetanus *in 3. p. q. 64. art. 3. ad 1.* & alii desumunt ex *c. fin. de Temp. Ordinari.* quòd textu relati Gregorii IX. *De Sacerdotibus vel alijs clericis, qui per reatum adulterii, perjurii, homicidii, vel falsi testimonii bonum conscientia recte perdidexunt, consulti rescriptum est, Si non penituerint, monendi sunt & sub interminatione Divini*

Divini iudicii obestandi, ut in testimonio sae damnationis in susceptis Ordinibus non ministrent. Cui Apostolico rescripto accedit ex Divino Jure petatum exemplum Oza 2. Reg. cap. 6. v. 7. repentinâ morte percussus, ob indecentem contactum Arcae, cui per contactum illum illatâ non minor est irreverentia, quâ sancto sacrificio & sanctissimo Euchari- stia Sacramento inferitur per diaconi aut subdiaconi peccatorum sordibus inquina- ti solenne ministerium ad Altare.

At, licet ista relatâ DD. Opinioni probabilitatem non modicam conferant, non minus tamen probabilis & benignior est doctrina Soti in 4. dist. 24. q. 1. art. 4. ad 1. citr. Suarez disp. 16. f. 3. Vasquez disp. 136. n. 50. Bonacinae q. 3. p. 3. s. 1. ad 4. & Palao p. 6. n. 22. quibuscum moderni TT. permulti non - Sacramentales Ordinum functiones indiscriminatim omnes, ac proinde non solum Evangelii & Epistolâ decantationem solennem, sed collationem quoque primæ Tonsuræ, sacri Chriftatis consecutionem, Benedictiones aquæ, olei, Nuptiales, & ipsam etiam Ecclesiæ, Altaris & Sacrorum vasorum consecrationem, similesque actus alios (uti & Verbi divini prædicationem) graviter peccaminosos esse negant ex eo; quod à lethali culpæ consciis exercentur. Ratio est; quia memoratarum functionum indigno exercitiò lethalis culpa non committitur ob irreverentiam in Christum Dominum ejusque merita; cum enim functiones illæ alicujus Sacramenti consecutio & administratio non sint, per eas Christi meritorum thesaurus non dispensatur, & non confertur gratia ex opere operato; neque etiam ob irreverentiam, quæ fit Ordinibus, quorum exercitium & actus sunt, cum; quia tales actus etiam sunt functiones solennes Ordinum minorum, quorum in gravi peccato execu-

tione lethalem plerique, & non patet venialem etiam culpam committi negant; tum verò; quia eò ipsò; quòd functiones memoratæ ad sanctificationem ex opere operato conferendam proximè non tendant, indignum eorum exercitium ad lethalis culpæ gravitatem non ascendit; cujusmodi culpam, ex plurium DD. sententia, etiam non commisit Oza: licet incautus contactus Arcae, ad augendam ejus reverentiam, à Deo temporali morte fuerit punitus.

Neque huic resolutioni adversatur *e. fin. cit.* quia imprimis hòc textu non condita nova, sed solummodo explicata est Lex Naturalis: & recitata verba exaudienda sunt secundum materiam subiectam & qualitatem ministerii; cum non indiscriminatim ministerium Ordinis quodcumque, obitum extra Statum Gratiæ, graviter peccaminosum sit; hoc certè nemo facile asseret de ministerio seu functione etiam solenni Ordinum minorum. Deinde; quia *e. cit.* clerici de peccatis non poenitentes ministrare dicuntur non in damnationem, sed in damnationis testimonium; quòd ipsò ministeriò, quod sanctum est, testentur se propter peccata antè commissa damnatione esse dignos; cum hanc ipsò ministeriò non promereantur; nisi hoc tale sit, quod in peccato mortali obire graviter prohibitum, aliunde constat. Demum; quia graviter prohibitum cujuscumque Ordinis ministerium tum demum est, cum ejus actus in peccati statu exercetur cum scandalo, vel cum formali aut virtuali contemptu, vel cum proposito ministerium ita continuandi, ut cum *cit.* Suarez f. 3. advertit Laiman *cit. cap. 5. n. 10.*

Dubium undecimò est, an clericus peccati mortalis sibi conscius Sacramenti administrationi præmittere teneatur confessionem Sacramentalem: vel satisfaciat, si ante

si ante illam eliciat Contritionem. Quã de re, licet quoad cetera Sacramenta Jure nihil definitum reperiam; atque idcirco à Sacramenti ministro statum Gratia per Contritionem reparari sufficiat, Sacramenti tamen Eucharistia sumptioni, ac proinde hanc antecedenti illius consecrationi à sacerdote, qui gravis peccati se reum agnoscit, Sacramentalem confessionem præmitti necesse est, juxta illud Apostoli, *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat & de calice bibat; qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini, 1. Corinth. cap. 11. v. 28. & 29.* Qualis autem ea probatio sit, explicat S. Synodus Tridentina *Sess. 13.* cujus *cap. 7.* de Eucharistia loquens ait, *Ecclesiastica autem Consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Quod à Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus, perpetuò servandum esse, decrevit.* Quibus verbis non Consilium duntaxat, sed Præceptum proponi, & ex isto Confessionem differri non posse, Alexander VII. luculenter valde declarat *decreto 18. Martii 1666.* editò inter alias Neotericorum laxioris sensûs Doctorum etiam proscribens ac damnans duas, ad propositam dubitationem pertinentes Propositiones: quarum prior & à Papa damnatarum 38, est, *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ex necessitate cum peccato mortali confitendi Quamprimùm, est Consilium, non Præceptum: Posterior verò & 39. Illa particula Quamprimùm intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur. Quare ante Missæ sacrificium & sanctis-*

simæ Eucharistia sumptionem per peccatum mortale amissum Gratia Statum, per Sacramentalem Confessionem reparandi necessitas omnino explorata est.

Dubium tamen duodecimò est, an 35. ea necessitas tolli valeat contrariâ Consuetudine: cujus resolutio pendet ex ejus Origine; cum illam, si ex Naturali vel Divino Jure descendat, ulla Consuetudine tolli non posse, extra omnem controversiam sit; quòd Naturali & divino Juri quacunque Consuetudine non possit aliquatenus derogari *c. fin. de Consuetudine*, & hæc, quatenus ejusmodi Juri derogat, apertè corruptela sit, & nuncupatur *c. cit. ut Lib. 1. Tit. 4. n. 38.* est dictum.

Ex quo autem Jure ea, de qua agimus, necessitas descendat, inter DD. controversia, istiusque verisimilior resolutio est, illam descendere ex Jure Divino, latò à Christo Domino, & à S. Paulo *l. cit.* promulgatò. Ratio est; quia Ecclesia declaravit verbis illis, *Probet autem seipsum homo*, ab Apostolo proponi præceptum, de Sacramentali Confessione à fidelibus Eucharistia sumptioni & Missæ celebrationi à Sacerdotibus præmittenda, ut ex recitato S. Synodi decreto liquet: Apostolus autem præceptum hoc non proponit, ut conditum à se: sed ut acceptum à Christo Domino; quia imprimis id subijcit verbis, *Ego enim accepi à Domino; quod & tradidi vobis, v. 23.* quæ ad omnia subiecta referri videntur. Deinde; quia Corinthios reprehendit; quòd absque probatione, de qua ipse loquitur, de pane illo ederent & de calice biberent: cui reprehensionis locus non fuisset, si ejus probationis præceptum non traditum antè, sed ab ipso primùm conditum fuisset; cum leges ac præcepta non ad præteritos, sed ad futuros actus referantur, *c. Cognoscetes 2. & c. fin. de Constitut.* Demum; quia eam probationem Apostolus fidelibus pec-

bus peccato gravatis proponit, tanquam unicum remedium vitandi Eucharistiæ sumptionem indignam: cujusmodi remedium non esset, neque Corinthiis fuisset, si ante latum à Christo non fuisset. Quæ ratio, à Sacerdotibus & fidelibus cæteris, mortalis peccati conscientiam habentibus, Sacramentalem confessionem celebrationi Missæ & Eucharistiæ sumptioni ex præcepto Divino præmittendam, Soto in 4. dist. 12. q. 12. art. 4. Covarruvie in c. Alma p. 1. §. 1. n. 7. cit. Suarez f. 3. concl. 3. Vasquez disp. 207. à n. 40. & aliis præcipui nominis T. T. merito persuasit.

Neque contra eam facit; quòd S. Synodus præceptum illud pro Apostolico non obicere habuerit, dum communicare volenti revocandum in memoriam ait præceptum Apostoli; quia deducta ratio non obscure evincit, S. Synodum loqui de præcepto, non ab illo primùm condito, sed Corinthiis solummodo promulgato.

Neque etiam; quòd, licet divini Juris sit præceptum, ut ante Eucharistiæ sumptionem homo se probet, non tamen illius Juris sit probatio per Sacramentalem confessionem potius, quàm per Contritionem; fere sicut licet divini Juris sit præceptum sumendi Eucharistiæ, istius tamen sumptio annua non divini, sed Ecclesiastici tantùm est Juris, c. Omnis utriusque 12. de Penit. & remiss. Non, inquam, etiam hoc contra illam Doctorum sententiam facit; quia probationem, de qua loquitur Apostolus, ex præcepto ab isto promulgato per Confessionem faciendam Ecclesiæ consuetudo non introduxit, sicut introduxit, ut communio esset annua: sed solummodo declaravit, ut Synodalis decreti lectio planum reddat.

☞ (O) ☞

ARTICULUS III.

De ejusdem Vitæ Clericalis Honestate Externa.

SUMMARIUM.

36. Maximopere ista Clericis commendata est à Concilio Tridentino.
37. Consistit 1. in morum & conversationis integritate,
38. Castitatem sive abstinentiam ab omni Libidine,
39. Præsertim in Sacerdotibus & Curatis:
40. Sobrietatem sive abstinentiam ab inebriatione,
41. Atque ad æquales hancus provocacione,
42. Et Avaritiæ fugam exposcente.
43. Judex Ecclesiasticus admittere nequit munera.
44. Esculentia tamen aliquando modica & sponte oblata,
45. Et in debiti laboris compensationem accipere non prohibetur.
46. Pro injusta vexationis omissione nihil exigi à judice:
47. A parte tamen litigante offerri ei aliquid potest.
48. II. In decentia habitus externi,
49. Præter alia excludente gestationem armorum illicitorum:
50. Quibus tamen clericum spoliare nequit judex secularis.
51. Ad vestem & Tonsuram Clericalem adstringuntur clerici Majores & beneficiati,
52. Juxta morem regionis & Episcopi ordinationem.
53. Minores clerici habitum & Tonsuram non deferentes Sc. non gaudent privilegio Fori.

54. Cans.

54. Canonis tamen privilegio defendatur.
 55. Fori etiam privilegium recuperant, reassumpto habitu,
 56. Etiam post delictum perpetratum:
 57. Nisi reassumatur præcisè in fraudem Curie Secularis.
 58. III. In omissione variorum exercitiorum,
 59. Sub penâ amissionis privilegiorum clericis interdictorum,
 60. Instituta à Jure, sed declaratoriam sententiam exposcente.

36. **C**lericalis Vitæ honestas Externa consistit in dictis factisque, sive moribus & actionibus, secundum Divinæ Legis & Sanctionum Canonicarum Regulam ordinatis, Quæ clericis specialiter commendatur huic Rubricæ subiectis textibus, & à S. Synodo Tridentina Sess. 22. cujus cap. 1. de Reformat. relati Decreti tenor est, *Nihil est, quod alios magis ad pietatem & Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita & exemplum, qui se divino ministerio dedicârunt; Cum enim à rebus sæculi in altiorum sublato locum conspiciantur, in eos tanquam speculum, reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur.* Quapropter sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos omnes componere; ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus nihil, nisi grave, moderatum ac Religione plenum, præferant: levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.

37. Externa ista Honestas Vitæ Clericalis tria præcipuè exposcit: Morum & conversationis integritatem, decentiam Habitûs externam, & exercitium Munerum atque Officiorum, convenientiam

Statui Clericali, Wagnereck ad hanc Rubr. not. 2. & Pirching ibid. pr.

Ad Morum integritatem spectat imprimis Continentia sive Castitas: cui clerici sic studere debent; ut non solum ab omni libidine, præsertim ejus, quæ contra Naturam est, & iram Dei ultricæque flammæ super Sodomam, Gomorram & reliquas civitates de cælo evocavit, c. Clerici 4. de Excess. Prælat. vitio sic abstineant: sed ut alicujus incontinentiæ etiam suspicione non maculentur apud homines, & in conspectu Dei purò ac mundò corde valeant ministrare, c. Ut clericorum 13. cum Ecclesiam deceat habere ministros, qui nullâ carnis contagione corrupti, continentiam Castitatis resplendant, & toti populo honestatis præfulgeant exemplis, juxta monitum Apostoli, *Exemplum esto fidelium in Verbo, in Conversatione, in Charitate, in Fide, in Castitate, 1. Timoth. cap. 4. v. 12.*

Eâ verò Continentiæ virtute præ aliis clericis excellere Sacerdotes & curati, sollicitèque curare debent, ut ad peragenda Divina mysteria purò corde & impolutò corpore accedant; ut eos, quos verbò & exemplò ad conversationis integritatem intruere ex officio tenentur, pravus sermonibus & perversis moribus non seducant & impellant in ruinam: quod vel maxime facerent, qui filias suas spirituales turpiter polluere non vererentur. Unde in hujusmodi seu incestus seu Sacrilegii reos depositionis aliæque gravissimæ penæ meritò constitutæ, can. Si quis Sacerdos & can. fin. 30. q. 1. Si verò litatus & salutis suæ penitus oblitus eò progredierentur, ut ad poenitentium sollicitationem ad flagitia & quosvis actus venereos ipsò sacro tribunali abuti non vererentur, in eos, quod de sancto saluberrimòque Poenitentia Sacramento male sentire videantur, tanquam de hæresi suspectos,

specios procedendum: & convicti severissimæ coercitionis poenis afficiendi forent, secundum Apostolicas Constituciones Pii IV. quæ incipit *Venerabili* 6. April 1561. Gregorii XV. quæ incipit *Univerſi* 30. Aug. 1622. &c. publicatas.

40. Deinde, Sobrietas & abstinentia ab ingluvie, à crapula & ebrietate, *can. ſin. diſt. 4. can. 1. &c. diſt. 35. & c. A crapula 14. hic*, quod relatò Lateranensis Concilii decretò Innocentius III. ab hoc vitio Clericos omnes feriò dehortatur ex gemina ratione. Unà; quòd mentis exilium & quasi insaniam inducat: dum viſum cæteròsque ſenſus obtundit obturbatque, aufert memoriã & rationis lumen obſcurat confunditque &c. Barboſa *in c. cit. n. 3.* Alterà; quòd fit libidinis incitium, *Luxuriosa enim res eſt vinum*, ait Regum Sapientissimus Proverb. *cap. 20. v. 1.* quia; ut Baſilius Seleuc. *in vita S. Tecla* loquitur, *Ebrietas voluptatis incendium eſt, ventèrque merò eſtians deſpuemat in libidines*: &, ut Terent. *in Eunuch.* ait *Sine Baccho & Cereve friget Venus*.
 41. Unde S. Gentium Doctor, *Nolite*, inquit, *inebriari vino, in quo eſt luxuria* Ephel. *cap. 5. v. 18.* & laudatus Summus Pontifex Clericis provocationem ad æquales haustus & fecundiores calices interdicit, conſtitutã in transgreſſores poenã ſuſpenſionis ab officio & beneficio, per ſententiam infligendã, ſi monitũ ab ea ſe ingurgitandi Conſuetudine non deſtant, *c. A crapula cit. v. ſin.*

42. Tertio, fuga Avaritiæ, quæ malorum omnium eſt radix, *can. Bonorum 7. diſt. 47.* & clericalis Status honeſtati ſic adverſatur; ut vix ullum ſit vitium, quò is magis infametur, ut hic cum Zoſio *n. 7.* obſervat Engel *n. 13.* Unde id ſuò meritò ſancta Dei Eccleſia ſemper deſtata eſt: & Clericis ſub graviffimarum poenarum comminatione interdixit

omnem negotiationem ſecularem, *c. ſin. hic & c. Secundum 6. Ne Clerici vel monach.* auri & argenti Alchimici conſectionem uſumque, *Extravag. Spondent, inter communes de Crimine falſi* & omne genus exercitii uſurarum, *c. 1. &c. de Uſuris* ut ad has *Rubricas* magis declarabitur. Dein *c. Cum ab omni 10.* iudicibus delegatis (& ob rationis identitatem Ordinariis quoque, Panormit. *in c. cit. n. 9.*) ut gratis iudicent, præcepit, vetuitque; ne ſuper decima vel alialitis parte tanquam ſalarío cum litigantibus paciſcantur, contrariã Conſuetudine non obſtante, partim; quòd clericis deputati ſint reditus Eccleſiaſtici; ut ex ipsis honeſtè vivere poſſint: partim verò; quòd nec juſtum iudicium vendere liceat, & venales ſententiæ ipsis legalibus ſanctionibus reprobenentur, *l. Solent. 6. §. ſin. ff. de Offic. Proconſul. & l. Unic. §. 1. C. de Contract. iudic. & irritentur, l. Venales 7. C. Quando provoc. non eſt neceſſ.* Unde

Dubium oritur de muneribus: quorum acceptio, & multò magis exactio generaliter & graviter interdicitã eſt à Bonifacio VIII. *c. 1. de Sent. & re iud. in 6. & c. Statutum 11. §. Inſuper de Reſcript. in 6.* ubi accepta reſtitui jubentur. Ratio graviffima eſt; quòd ex una, iudicium nullã re faciliùs pervertatur, quàm muneribus, habentibus vim obcæcandi oculos iudicum; ne, quid juſtum, injuſtumve ſit, videre: aures obturandi; ne litigantium voces rectè perciperet; conſtringendi linguam; ne ſecundum Junis & æqui normam valeant pronuntiare. Ex altera verò parte, Clerici, & præſertim Eccleſiaſtici iudices ex præcepto Apoſtoli 1. Theſſal. *cap. 1. v. 21.* abſtinere debeant ab omni ſpecie mali: & vel maxime avaritiæ injuſtitiæque: cujus refert ſpecie, & ſuſpicionè præbet munerũ exactio; *Gonzalez in c. Cum ab omni cit. n. 13. Molina Traã.*

sina *Traç. 2. de J. & J. disp. 84. n. 1.* & Laiman in *c. Statutum cit. n. 13.*

44. Neque munera recipientibus patrocinatur; quod §. *Insuper cit.* sedis Apostolicae delegatis permittantur esculenta & poculenta; quia non permittuntur, nisi quæ, spectatâ tam accipientis quam dantis conditione, modica, & merâ liberalitate, hoc est, sine ulla exactione vel petitione etiam indirectâ, atque omnino sponte offeruntur; ut ea neque in compensationem laboris judicandi, neque iudicii pervertendi animò oblata, ulla suspicio esse possit, Glossa in §. *Insuper cit. V. Consumi.*

45. Excipi tamen hic solent casus Primò, quò delegatus extra suum domicilium ad causam cognoscendam proficisci debet; tali enim casu moderatas itineris expensas æqualiter à partibus litigantibus, quarum commune negotium geritur, si earum personæ pauperes non sint, accipere permittitur, §. *Insuper cit.* laudati Molina n. 2. & Laiman n. 12. Secundò, quò iudex congruam sustentationem ex beneficio & redditibus Ecclesiasticis non habet; talis enim eam accipere à partibus non prohibetur, Panormit. in *c. Cum ab omni cit. n. 11.* Tertiò, quò iudex ad celeriolem causæ expeditionem in se suscipit laborem extraordinarium, & adhibet diligentiam, ad quam ex officio suo non obligatur; illius enim compensationem aliquam admitti posse, cum Navarro docet Sanchez *Consl. Lib. 3. cap. unic. dub. 1. n. 22.*

46. Dubium etiam est de redemptione indebitæ vexationis, quæ à iudice, v.g. causæ cognitionem aut sententiam differente, inferitur. Pro qua etiam, sicut & pro ferenda sententia iusta illicitè aliquid exigì & accipi à iudice: & accepta restitutioni obnoxia esse, explorati est Juris, l. 1. §. *fin. C. l. Ut puta 2. ff. de Condit. ob turp.*

caus. Ratio est partim; quòd præsumptio sit, non sponte data, sed extorta per injuriam, & ad majus damnum vitandum: sicut solutio usurarum, quas esse obnoxias restitutioni, extra omnem controversiam est, *c. 1. C. Debitores 6. de Jurejurando:* partim verò; quòd, cum per ejusmodi protelationem inferendæ indebitæ vexationis ommissio à iudice partibus debita sit, sine ulla honorum suorum jactura; ac proinde, quin pro ea pretium exhibeatur, pars, si eam pretiò redimere cogatur, non consequatur totum, quod sibi à iudice debetur; quia sententiam à iudice sibi absque ulla jactura debitam sine ista non consequitur, nisi pretium quoque recuperet; ut ad eò, hoc quoque à iudice ei restitui, sit necesse, *civ. Molina disp. 88. n. 4.* & Haunold. *Tom. 1. de J. & J. traç. 2. n. 351.*

Pro eadem indebitæ vexationis omissione illicitè, sicut aliquid exigì à iudice, sic etiam à partibus ipsi offerri, cum Glossa in *can. Qui restit. 11. q. 3.* Sotus *Lib. 4. de Jusit. q. 7. art. 1. ad 2.* & Salycetus in *l. 1. cit. n. 1.* desumunt ex *l. Ut puta cit.* Verbis, *Hic quoque crimen contrahit, iudicem enim corrumpere videtur,* & *Novell. 124. cap. 1.* cujus *pr.* litigantes ex quacunque causa iudici munera offerre prohibentur. Ratio est; quòd ex tali etiam causa aliquid offerens, iudicis ex ea accipientis peccato cooperate.

At veriùs, id parti licitum in *c. Cum ab omni cit.* cum Glossa *V. Abstinere & Panormit. n. 8.* defendunt Sylvester *V. Restitutio 2 n. 1.* Covarruvias in *Reg. Peccatum p. 2. §. 3. n. 1.* Menoch. *de Arbitr. casu 342. à n. 8.* Molina *disp. cit. n. 3.* Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 14. n. 64.* & alii DD. relatis, Barbosa in *c. cit. n. 13.* Ratio est; quia id turpe & illicitum non est, spectatò Jure Naturali, sui defensionem

tionem omnibus permittente: leges autem Positivæ id vetantes fundantur in præsumptione pravi animi iudicem corrumpendi, ut planum est recitatis verbis *l. Ut patet cit.* Neque aperte verant ejusmodi dationem, factam præcisè ob sui defensionem. Unde quoad hanc obtinet Jus naturale, *arg. l. Præcipimus 32. C. de appellat.*

Neque hujusmodi redemptionis inhonestatem evincit ratio, quæ impugnatur; quia non omnem, præsertim coactam sive necessitate extortam cooperationem ad peccatum illicitam, liquet ex solutione usurarum, permittit ob Religionem juramenti aliâve necessitatem. Unde in casu necessitatis præsertim, quæ vexatio aut sententiæ certa iniquitas aliter vitari sine gravi incommodo non potest, munus licebit adhibere, Covarruvias *cit. n. 1.* qui tamen cum *cit.* Glossa apud Barbofam *n. 15.* rectè monet, à litigante iudici simpliciter & nullâ causâ expressâ datum in dubio, si aliud non probetur, illicitius corrumpendi potius, quàm injustæ vexationis redimendæ animò oblatum, præsumi.

48. Ad conservandam Externam Habitûs decentiam, Clericis interdîcta olim fuit nutritio comæ & barbæ, *c. Clericus 5.* ut illam vel hanc prolixam ferentes tonderi etiam invitæ, *c. Clericus 7.* & contumaces excommunicari juberentur, *c. Si quis 4.* Quarum tamen Constitutum rigori cum tempore contraria Consuetudine in multis locis est derogatum; ut jam, si capillis aures tegant & alicubi prolixam etiam barbam ferant, decenter incedere clerici censeantur, Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 21.*

49. Ex eadem causâ clericis vel maximè interdîcta est gestatio armorum militarium, *c. Clericus 2.* cum enim clericorum

arma sint Orationes & lacrymæ, *can. Non pila & can. Convenior 23. q. 8.* gladios, bombardas, aliâque ad offensionem & defensionem comparata arma deferre ipsis non licet sine iusta causâ, vg. obsidionis aut itineris per loca infesta latronibus, Glossa, in *c. Clerici cit. v. eodem, ubi Panormit. n. 8.* & Barbofa *n. 3.* Quæ aliâve simili causâ non urgente arma deferentes clerici excommunicationis censura per sententiam infligendæ obnoxii de Jure sunt, *c. cit.* Religiosi autem, sine licentia Prælati ea retinentes intra septa monasteriorum, excommunicationem ipsò Jure latam incurrunt, *Clement. 1. §. Quia verò de Statu Monach. ubi*

Dubium est, an clericus lege vel statuto Seculari, simpliciter vel certò tempore aut loco, prohibita arma gestans, iis spoliari valeat à ministris Curie secularis. Affirmant id Clarus *§. fin. q. 35. n. 26.* & Covarruvias *Lib. 2. Var. cap. 20. n. 18.* quòd, cum ejusmodi lex & statutum concernat utilitatem publicam & SS. Canonibus non adversetur, eò clericis quoque obligentur, per tradita *Lib. 1. Tit. 2. n. 116.* Sed, esto hoc ita sit, coactio tamen ad ejus observantiam, & transgressoris clerici coercitio, juxta *ibidem dicta num. 118.* solius Ecclesiasticæ, non Secularis est potestatis; quia à jurisdictione seculari clerici utroque Jure sunt exempti *c. Nullus 2. c. Si diligenti 12. de Foro compet. Auth. Statuimus C. de Episc. & cleric. &c.* Quare ejusmodi clericum, nisi in flagranti crimine aut istius machinatione deprehendatur, ab eòve inferenda injuria aut damnum impediri aliter non possit, armis etiam specialiter prohibitis spoliari secularis magistratus jussu posse, cum Panormit. *in c. Si verò 4. de Sent. excom. n. 6.* Navarro *Manual. cap. 27. num. 8.* & aliis à Barbofa

Barbosa in *c. Clerici* 2. *hic n. 6.* & Pignatello *Tom. 1. consult. 5. n. 70.* relatis meritis negant Ugolinus *de Potest. Episc. cap. 13. §. 12. num. 3.* Guazzinus *de Reor. defens. p. 120. cap. 9. n. 1.* Piafec. *Prax. Episc. p. 2. cap. 4. n. 25.* & Suarez *Defens. Fid. lib. 4. q. 34. n. 14.*

§ 1. Eadem habitus decencia Externa ut conservetur, clerici in sacris sive majoribus: uti etiam in minoribus Ordinibus constituti, si dignitatem, personatum, officium, aut beneficium Ecclesiasticum qualecunque obtineant, vestem & coronam ac Tonfuram Ordini suo congruentem deferre sub gravibus poenis tenentur, ex decretis Conciliorum Lateranensis *c. Clerici* 15. Viennensis *Clement. Quoniam* 2. *hic* & Tridentini *Sess. 24. cap. 6. de Reformat.* cujus tenor est, Omnes Ecclesiastica persona quantumcunque exempta, que aut in sacris fuerint, aut dignitates, personatus, officia, aut beneficia quatuorlibet Ecclesiastica obtinuerint, si postquam ab Episcopo suo, etiam per eadem publicum moniti fuerint, honestum habitum clericalem, illorum Ordini & dignitati congruentem & juxta ipsius Episcopi ordinationem & mandatum non detulerint, per suspensionem ab Ordinibus ac officio & beneficio ac fructibus & proveniuntibus ipsorum beneficiorum: nec non, si semel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum & beneficiorum coerceri possint ac debeant.

§ 2. Porro, licet nullus certus & proprius habitus clericis præscriptus: & vestis clericalis honestas ferè delumenda sit ex cujuscunque regionis usu, *can. Si quis virorum* 15. *disp. 30.* & ordinatione Episcopi, præferentis formam modumque vestium, juxta Trident. *cap. 6. cit.* eas tamen talares esse voluit Sixtus V. *Constitut.* quæ incipit *Sacrofancta*, edita 18. Jun. 1589. atque insuper cautum

est; ne militaris aut laicorum mote sit virgata vel partita, hoc est, diversos colores panno intextos aut superinductos habens, neque etiam viridis aut rubra vel aliàs composita ad luxum, *Clement. Quoniam cit.* exceptis S. R. E. Cardinalibus: quibus rubri galeri & purpurei usus ab Innocentio IV. in Concilio Lugdunensi est concessus, Piafecius *Prax. Episc. p. 2. cap. 3. art. 2. n. 29.* Unde

Dubium oritur primò, de clerico constituto in Ordinibus minoribus & carente beneficio Ecclesiastico: qui ad habitum quidem clericalem non adstringitur, *Fori tamen privilegio non gaudet;* ut coram Seculari judice conveniri valeat: nisi eum & tonsuram deferens alicui Ecclesia ex mandato Episcopi interserviat, vel in seminario clericorum aut in aliqua Schola vel Universitate de licentia Episcopi, quasi in via ad majores Ordines suscipiendos versetur, decretum est S. Synodi Trident. *Sess. 23. cap. 6. de Reformat.* secundum quod, ut clericus minoribus Ordinibus aut saltem primâ Tonfurâ initiatus & beneficio carens Fori Ecclesiastici privilegio defendatur, duo simul exiguntur. Prius est; ut deferat habitum & Tonfuram clericalem. Posterius; ut de Episcopi mandato alicui Ecclesiæ interserviat, aut saltem de ejus licentia versetur in Seminario clericorum aut in Schola aliqua vel studiorum Universitate: quorum proinde alterum si ejusmodi clericus non observet, Fori privilegio non defendetur, Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 12. n. 14.* & Palao *Tract. 12. disp. unic. p. 2. n. 7.*

Non Fori duntaxat, sed Canonis quoque privilegium clerico minori, duas illas condiciones non observanti, *cap. 6. cit.* ademptum; ut eum percutiens in excommunicationem majorem, Sedis Apostolicæ absolutioni reservatam *can. Si quis sua.*

quis suadente 17. q. 4. non incidat, existimat Suarez de Censur. disp. 22. s. 1. n. 11. eumque secutus Engel ad hanc Rubr. n. 9. uterque eâ ductus ratione; quod privilegium Canonis facilius amittatur, quam Fori; cum hoc Divini, illud autem Ecclesiastici tantum sit Juris. Sed, esto non eodem Jure utrumque sit introductum, quod multi verisimilius negant, Canonis tamen privilegium ejusmodi clerico non adimi, cum Navarro de Privileg. Consil. 24. defendit Molina Tract. 3. de I. & I. disp. 54. n. 9. & à Cardinal. declaratum, testis est Gonzalez in Reg. 8. Cancell. gloss. §. 5. n. 7. Ratio est; quia neutro privilegio excidit ante Tridentinum: à Concilio autem hoc restrictum solummodo est privilegium Fori; ut proinde privilegium Canonis sub dispositione Communis & Antiqui Juris relictum videatur, arg. l. Praecipimus 32. C. de Appell.

Neque legitima ad id illatio est à privilegio Fori; quia imprimis Canonis privilegium ab illo diversum: istiusque privatio, tanquam odiosa, restringenda potius est, quam extendenda, arg. Reg. Odia 15. in 6. Dein; quia privilegium Canonis magis necessarium est, quam Fori; cum clericalis status utique magis inhonoretur clericum percutiendò, quam eum conveniendò coram iudice seculari. Demum; quia privilegio Canonis nulli praedjudicatur, sicut privilegio Fori; hoc enim aliquò modò derogat potestati curiae secularis, Palao Tract. 29. disp. 3. p. 23. s. 1. n. 4.

55. Dubium secundo est, an clericus in minoribus, habitum cum tonsura clericali semel dimissum reassumens, recuperet privilegium Fori. Negat id Avenanno Lib. 1. de Exec. mandat. Reg. cap. 22. n. 15. Ratio, quâ movetur, est; quòd illorum dimissio C stabilis ex nul-

la necessitate aliave causa urgente, sed sponte itaque facta, ut quali laicus publicè existimetur, Barbosa in cap. 6. cit. n. 22.) sit quaedam renuntiatio privilegii: quâ semel factâ poenitentia non est locus, arg. c. Unici de Postulat. pral. in 6. & c. Ut quis duas 25. §. fin. de Elect. in 6. ubi unâ, scilicet postulationis viâ electâ, ad aliam sive electionis viam redeundi licentia negatur; cum, Quod semel placuit, amplius displicere non possit, ut habet Reg. 21. in 6.

Sed melius affirmant Clarus §. fin. q. 36. n. 15. Covarruv. Practic. cap. 31. n. 8. Petr. Barbosa in l. Titia 35. ff. Solutio matr. n. 33. Sanchez Lib. 7. de Matr. disp. 46. n. 29. Suarez Lib. 4. de Immunit. cap. 27. n. 18. & alii, id colligentes ex Clement. 1. quâ Clerici ob habitus dimissionem &c. clericale privilegium amittere asserunt, Quamdiu praemissis insisterint: quâ clausulâ eos, si à praemissis destiterint, privilegium clericale recuperaturos, aperte insinuat. Ratio est; quia habitum non deferentes privilegium non amittunt ob ejus renuntiationem; cum clericali privilegio renuntiarî à clericis non possit, c. Si diligenti 12. de Foro compet. sed ob non servatam conditionem, in clerico eò gaudente requisitam: quâ dimissa cum reassumi valeat, cum ea etiam poterit privilegium reassumi. Atque ita à S. Congreg. declaratum, refert Barbosa in Remiss. Concil. ad cap. 6. cit. Declarat. n. 6.

Dubium non leve tertio est de ejusmodi clerico delinquente, postquam privilegium Fori per dimissionem habitus amisit: à quo, isto etiam reassumptò, illud non recuperari, cum Claro & Petr. Barbosa l. cit. docet cit. Sanchez n. 4. & 10. quòd ejusmodi delictum commissum sit ab homine subiecto jurisdictioni seculari; & propterea ab ista puniendum;

dum; quia, cujus fori delinquens sit, desumendum est ex tempore delicti, *arg. l. 1. ff. de Panis*, quâ, eâ poenâ quem afficiendum, statuitur: quam subiret, si sententia lata esset tempore delicti.

Sed ab isto quoque, habitum & tonsuram clericalem bona fide reassumente, privilegium Fori recuperari, verior doctrina & ratio est; quòd privilegium hoc clericis minoribus concedatur: dummodo beneficium habeant, aut, si isto careant, habitum ac tonsuram deferentes alicui Ecclesiæ interserviant &c. Unde quamdiu & quodocunque hoc bonâ fide observant, illò gaudent, *per Clem. 1. cit. junctâ Glossâ V. Quamdiu*. Quæ confirmantur *arg. l. Hos accusare 12. pr. ff. de Accusat.* legatum de crimine ante legationem commissò accusari non permittentis. Unde inferunt, clericum quoque de crimine ante clericatum, aut, quando non gestavit habitum ac tonsuram, commissò, accusari non permittendum coram iudice seculari; quia habitum reassumptò jam apparet persona Ecclesiastica, habens omnia à Jure ad privilegium Fori Ecclesiastici requisita.

Neque adversatur *l. 1. cit.* quia in clerico, habitum bona fide reassumente, non tam illius, quàm *Clement. cit.* & decreti Conciliaris *cap. 6. cit.* ratio est habenda.

57. Aliud esset, si habitus non bona fide, sed in fraudem reassumeretur timore iudicii & supplicii impendentis: sicut fieri præsumeretur, si habitus & tonsura, aut Ordines minores (non si majores) primùm post citationem, accusationem, inquisitionemve, aut delicti diffamationem, aut etiam post id perpetratum immediatè reassumerentur; ex talibus enim circumstantiis habitus clericalis assumptus judicaretur non seriò animò in eo perseverandi: sed timore iudicii ac sup-

plicii, & præcisè ad evitandam jurisdictionem secularem, *Farinac. Consl. 767. n. 3.* Unde talis clericus privilegium Fori non recuperaret, & à curia seculari apprehendi ac puniri posset; non quidem poena corporali; quia hæc à seculari curia infligi Clerico non degradato non potest, ut idem notat *n. 13.* sed pecuniariâ sive in bonis delinquentis, cum; quòd fraus & dolus ei patrocinari non debeat, *6. Ex renore 16. de Rescript. tum verò; quòd aliàs clericorum privilegium fomentum esset delictorum, Clarus §. fin. q. 36. n. 43. & Menoch. Lib. 6. Præsumpt. 76. n. 35.*

58. Ad obtinendam evitacionem exercitiorum munerumque, statûs clericalis dignitati non convenientium, prohibita clericis sunt Primò officia & commercia secularia, maximè inhonestâ: cujusmodi plura referuntur *c. Clerici 15. hie c. 1. &c. Ne clerici vel monach.* ad quam Rubricam hæc de re sermo redibit. Secundò, vanæ & lascivæ Musicæ in Officiis Divinis, *Extravag. Unic. inter com.* exhibitioque ludorum theatralium & scenicorum in templis, si prophani, & multò magis, si inhonesti sint, *c. Decorem 12.* Non etiam, si sint pii, & animos excitent ad devotionem, ut *in e. cit.* notant Glossa *V. Larvatum* & Panormit. *n. 2.* Tertiò; ne mimis, jocularibus & histrionibus intendant, *c. Clerici cit.* Imò clerici, qui se joculatores sive goliardos aut buffones, vulgò *Gaukler / Schalcksnarren / Meister singer* &c. faciunt, si artem hujusmodi ignominiosam per annum, aut, postquam ter moniti sunt, breviori tempore exerceant, infames fiunt: omnique etiam Canonis privilegio ipsò Jure privantur, quantumvis constituti sint in Sacris, *c. Unic. in 6.* Demum, clerici 59. carnificum, hoc est, lanionum, macellario-

cessarioium vel tabernariorum officia publicè & personaliter exercentes, si nominatim, seu propriis nominibus expressis, & tertio moniti ab iis non desistant, eave resumant, privilegia clericalia amittunt: Conjugati quidem omnino, hoc est, utrumque, tam Canonis quàm Fori, privilegium, quibus aliàs gaudent clerici, qui cum una eaque virgine contraxerunt, *c. Unic. de Cleric. conjug. in 6.* non conjugati clerici verò solummodo quoad res: nisi incedant ut laici; ita enim incedentes illis excidunt etiam quoad personas; ut coram seculari magistratu valeant conveniri, eosque percipientes excommunicationem Canonis non incurrant, ex decreto Concilii Viennensis *Clement. 1. relatò, Suarez de Censur. disp. 22. f. 1. à n. 14. Molina cit. disp. 54. à n. 6. & Palao Tract. 29. disp. 3. p. 23. §. 1. à n. 8.*

60. Dubium est, an clericus in Sacris jocularorem, lanionem &c. insuper habità Ecclesiæ monitione, agere pergens & incorrigibilis Fori privilegium amittat ipsò Jure. Ratio dubitandi est; quòd

clerici in sacris Fori privilegium non amittant, donec eò à iudice Ecclesiastico per sententiam denudentur, *arg. c. Cum non ab homine 10. de Judiciis*, ubi clerici omnino incorrigibiles magistratui seculari traduntur; non ab isto, quasi ipsò Jure privati, statim apprehenduntur. Unde ad ejusmodi privationem judicis sententiam exigunt Suarez *Lib. 4. Defens. Fidei cap. 17. n. 24.* & Laiman *Lib. 1. Tract. 5. p. 2. cap. 5. n. 4.* Sed contra apertum Jus, si condemnationem requirant; cum eos ipsò Jure, sicut reddi infames, sic omni privilegio clericali excidere, *c. 1. cit. junctà Glosà V. Careant, & Clement. 1. cit. id amittere eò ipsò sive ipsò factò, verbis ipsò Jure infictam privationem denotantibus, asserantur, Pirrhing ad hanc Rubric. n. 32. not. 4. & Palao cit. disp. Unic. p. 6. n. 5. rectè monens; ut in hujusmodi clericum tanquam suæ jurisdictioni subditum curia secularis procedere valeat, opus esse sententià declaratorià incorrigibilitatis, arg. c. Cum secundum 19. de Hæret. in 6.*



TITVLVS II.

De Cohabitatione Clericorum & Mulierum.

SUMMARIUM.

1. Clericis interdicta est habitatio cum fœminis:
2. Non quibusvis, sed suspectis,
3. Sub variis penis, prodiis Jure antiquò,
4. Ipsi concubinarum dimissionem sine abjuratone indicente.
5. Pena in beneficiatos ac pensionarios,
6. In alios clericos concubenarios,
7. Et ipsos Episcopos latè novissimò Jure Tridentini:
8. Quòd